

»pro hominibus satisfacit, et interpellat apud Patrem, et ea, quae »sunt Patris omnibus communicat; secundum quod dicitur (1): »*Claritatem, quam dedisti mihi dedi eis*. Secundum hoc autem »utrumque convenit ei, quod cum utroque convenit extremorum; »in quantum enim cum hominibus communicat, vices hominum »gerit apud Patrem: in quantum vero cum Patre communicat, dona »Patris transmittit ad homines. Quia ergo in primo adventu ad hoc »venit ut pro nobis satisfaceret apud Patrem, in forma nostrae in- »firmitatis apparuit. Quia vero in secundo adventu ad hoc veniet ut »justitiam Patris in homines exequatur, demonstrare gloriam debe- »bit, quae inest ei ex communicatione ad Patrem, et ideo in forma »gloriosa apparebit.»

80. Obj. 1.^o *Qui non credit jam judicatus est* (2). Sed qui jam judicatus est, non est iterum judicandus. Ergo saltem infideles non venient in iudicium.

Resp. Explico sensum. *jam judicatus est* iudicio Dei occulto et non finali; conc. Iudicio finali vel particulari vel universali; sub- dist. Proprie et formaliter; neg. Improperie et quasi causaliter; conc. *Min.* etiam dist. Non est judicandus eodem iudicio; conc. Alio; neg. (Vid. dicta supra thes. II). In textu non agitur tantum de infidelibus, sed etiam de fidelibus, qui non credunt fide viva; ipsius sensus non est juxta Chrysostomum, Cyrillum, Augustinum, ut qui non credit, non sit iudicio divino finali judicandus, sed solum significat ipsum habere in se certam damnationis causam, ob quam certitudinem dictum est in praeterito jam esse judicatum. Sic S. Cyrillus (3): «Judicatum esse incredulum,» quia «ipse in seipsum condemnationis tulit sententiam.»

Inst. Saltem iudicium postremum excluditur, nam Augustinus (4) ait: «Ad iudicium non veniunt nec pagani nec judaei, »nec haeretici, quia de illis scriptum est: *qui non credit,*» etc. Et Lactantius (5): «Nec tamen tunc universi a Deo judicabuntur, »sed ii tantum qui sunt in religione versati.»

Resp. 1.^o Ut antea, ita loqui propter certam et perspicuam damnationis causam.

2.^o Cum plurimis scholasticis dist. Non venient omnes ad *iudicium discussionis*; conc. *Damnationis aut approbationis*; neg. Distinguunt aliqui triplex iudicium; *iudicium remunerationis vel approbationis*, quo sententia remunerationis seu gloriae tribuendae fertur; *iudicium damnationis*, quo e contra retributio seu poena inferni peccatis debita indicitur; *iudicium discussionis*, quando fit quaedam veluti aliqua causae disceptatio, eo quod opera bona malis

(1) Joann. XVII, 22.—(2) Joann. III, 18.—(3) In Joann. c. 53.—(4) Serm. 38, de *Sanctis*.—(5) *Institut.* L. 7, c. 20.

mixta causam dubiam quodammodo reddant (1). Haec diversitas non datur quoad rem et absolute, omnium enim causae suo modo discutientur, sed tantum respective et quoad modum concipiendi nostrum, quia causa infidelium ob defectum fidei et Baptismatis erit manifeste damnationis causa.

Obj. 2.^o Juxta interpretationem LXX apud Nahum (2) asseritur: *Deus non judicat bis idem*. Sed ita fieret si universale iudicium post particulare uniuscujusque daretur. Ergo.

Resp. Non judicat bis idem secundum eandem rationem; conc. Secundum diversam; neg. et contradist. *Min.* etc. Deus non judicat bis ut priorem sententiam mutet aut bis idem puniat, sed ut suppleat quod ex debita poena deerat et convenienti modo sententiam proferat in eum, qui peccavit, et prius in iudicio particulari non omni sed quasi ex parte tantum judicatus fuerat. Ideo poena inflicta in iudicio universali non tantum animam sed et corpus afficit.

Inst. In nullo iudicio exequutio sententiae praecedat iudicium. Sed in hoc praecederet, quia in sententia, iudicandi vel excluduntur a regno caelorum, vel in ipso admittuntur prout in morte jam admissi vel exclusi fuerant. Ergo.

Resp. Dist. *Maj.* Non praecedat iudicium, secundum illud, quod in illo iudicio infertur; conc. Secundum illud, quod ab illo non infertur; neg. Et contradist. *Min.* etc. Sententia universalis iudicii est tum separatio publica bonorum a malis, tum majoris praemii vel poenae collatio, respicit enim animam cum corpore.

Obj. 3.^o Saltem infantes non sunt iudicandi: a) Quia in iudicium ille tantum adducendus est, qui habet meritum vel demeritum. Sed infantes non habent meritum vel demeritum. Ergo. b) Quia illi iudicantur in quos sententia profertur; sed non profertur in infantes, sed tantum in adultos electos vel reprobos (3). Ergo.

Resp. Ad a) Dist. *Maj.* Qui habet meritum vel demeritum aut stricte dictum i. e. actibus personalibus acquisitum, aut late dictum ex statu et conditione personae ortum, seu ex actibus alienis, factis aliquo modo propriis; conc. Tantum ex actibus propriis; neg. Et contradist. *Min.* etc. Etiam si infantes peccatum originale non patravissent, contraxerunt tamen peccatum originale, quod est per modum habitus. Jam vero status peccati, quatenus est vera culpa, est sufficiens ratio excludendi a regno caelorum.

Ad b) Conc. *Maj.* Neg. *Min.*; Conc. rationem additam, sed neg. *Conseq.* Scriptura enim non narrat omnia, quae in illo iudicio fient, sed praecipua tantum et ea, quae ad hominum utilitatem maxime conferre possunt; ideoque sententia et poena commemorantur, quae

(1) D. Thom. suppl. Q. 89, nn. 6, 7.—(2) I, 9.—(3) Matth. XXV, 34-41.

ad adultos tantum pertinent; non vero caetera excluduntur. Sic etiam Matthaeus eodem loco tamquam damnationis causam nonnisi peccata contra misericordiam profert.

SCHOLION.

De circumstantiis iudicii universalis.

81. **Dico I.** Aliqui sanctorum simul cum Christo iudicabunt.

Nam Christus D. aperte dixit (1): *Amen dico vobis, quod vos qui sequuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebilis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Ego dispono vobis... regnum, ut... sedeat super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel* (2).

Haec iudicii participatio triplici explicatur modo (3): *Comparative* ad vitam sanctorum, ita ut sanctorum comparatione malitia peccatorum hominum evidentius appareat; sub qua ratione omnes iusti iudices erunt. *Interpretative*, iudicis nempe sententiam approbantes, quo pacto omnes etiam iusti iudicabunt. Formaliter tandem, quod adhuc varie exponitur. D. Thomas, quatenus Christi sententiam deferant in eorum notitiam, qui iudicantur: alii quatenus occultam conscientiam penetrantes cognoscant peccatorum demerita et Dei iudicia, et suam hanc notitiam illis aperire possint: alii quatenus primum actum iudicii nempe disceptationem participant. Haec omnia, dicit Suarius, probabiliter excogitata sunt, certa vero ratione vel auctoritate non constat in quo haec participatio iudicii consistat.

Hoc ultimum privilegium h. e. quod *formaliter* aliquo modo iudicent sancti, omnium eorum electorum tantum erit proprium, qui voluntariam paupertatem professi sint (4). «Sententia, ait Suarius, valde probabilis est, sed non est ita intelligenda, ut sola professio voluntariae paupertatis sufficiat ad hanc praerogativam obtinendam... Quamquam oppositum Sotus sentire videatur; tamen praeter mentem Augustini et aliorum Patrum... qui non intelligunt privilegium esse promissum soli statui et professioni perfectionis, sed observationi non cuiuscumque, sed exactae et singulari talis status et professionis (5).» Hujus privilegii Apostolorum participes esse, ait S. Augustinus (6): «sequentes nunc Christum, expeditis humeris sine sarcina curarum saecularium.» Et in Ps. XC, n. 9: «Quid est *vis esse perfectus*? Vis mecum iudicare et non iudicari.»

82. **Dico II.** Non modo omnes homines, sed etiam Angeli iudicabuntur.

Prob. Teste Petro (7): *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos*

(1) Matth. XIX, 28.—(2) Luc. XXII, 29, 30.—(3) D. Thom. suppl. Q. 89, a. 1.—(4) Id. ibid. a. 2.—(5) Suar. De myst. D. 57, sec. 4, n. 5.—(6) In Ps. XLIX, n. 8.—(7) II.^a II, 4.

in iudicium reservari. Et Paulo (1) de omnibus angelis bonis et malis: *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus?*

De ratione qua iudicabuntur juxta D. Thomam (2), «distinguenda duplex retributio: una respondens propriis meritis angelorum, et haec a principio fuit utrisque facta, dum quidam in beatitudinem sublimati sunt, quidam vero in miseriam demersi; alia retributio est quae respondet meritis bonis vel malis per angelos procuratis et haec retributio in futuro iudicio fiet, quia boni angeli amplius gaudium habebunt de salute eorum, quos ad meritum induxerunt, et mali amplius torquebuntur, multiplicata malorum ruina, qui per eos ad mala sunt incitati.»

Sed probabilis est etiam sententia Suarii, quae ad praemium et supplicium essentiale angelorum iudicium extendit; quia ex angelis et hominibus sanctis constituitur unum Christi corpus, una Ecclesia et una Dei civitas; omnibus tam angelis quam hominibus retribuitur pro meritis ejusdem rationis praemium: ergo conveniens est ut publicum iudicium cum retributione fiat, non solum de hominibus sed etiam de angelis. Item quia Christus est Salvator et justificator Angelorum: ergo debet esse iudex etiam quoad essentiale praemium et supplicium.

83. **Dico III.** In magno illo et supremo tribunali publice proponentur omnium facta, dicta, cogitata, quae praemio vel poenâ digna fuerint; ita ut omnes et singuli de quovis intelligere possint, quid boni vel mali per totam vitam fecerit.

«Res valde stupenda, tamen de ea nullo modo dubitandum cum multis locis tradatur in Scripturis. Daniel (3): *Judicium sedit, et libri aperti sunt.* Id est iudex sedit, et mox omnium conscientiae patefactae, seu omnium opera, quorum sibi homo unquam fuit conscius. In quem locum S. Hieronymus: «Conscientiae et opera singulorum in utramque partem, vel bona vel mala omnibus revelabuntur.» Apocal. (4): *Vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni; et libri aperti sunt: et alius liber apertus est qui est vitae: et iudicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.* Hic ponuntur duo libri, qui nunc quidem clausi, sed tunc aperientur, nempe liber vitae et liber conscientiae. *Liber vitae* est in quo continentur nomina eorum, qui vitam aeternam obtinebunt, et eorum bona opera. Hic liber est memoria divina, in qua ista omnia sunt descripta. Iste liber aperietur eo ipso quo omnes salvandi resurgent in corporibus gloriosis, et rapientur obviam Christo in aera, ibique iudici ad dexteram adstant: hinc enim omnes certissime cognoscent quinam sint electi et destinati ad vitam aeternam. Liber conscientiarum non est unicus sicut liber vitae, sed multiplex, pro multitudine iudicandorum; singuli enim ex propria conscientia et ex iis, quae ipsi in sua conscientia scripserunt iudicabuntur. Denique Apostolus (5): *Itaque nolite ante tempus*

(1) I.^a Cor. VI, 3.—(2) Suppl. Q. 89, a. 8 (al. Q. 92).—(3) VII. 10.—(4) XX, 12.—(5) I.^a Cor. V, 5.

»judicare (nempe de iis, quae nunc occulta sunt) quoadusque veniat
»Dominus qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit
»consilia cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo. Illuminabit abs-
»condita tenebrarum; i. e. ea, quae nunc latent veluti in tenebris,
»(eo, quod a nobis sciri non possint) ponet in lumine ut ab omni-
»bus videri possint sicut colores et formae rerum, quae noctu la-
»tent in tenebris, sole illustrantur, et omnibus fiunt conspicuae.»

Etiam electorum peccata manifestabuntur, quia ut dicit S. Mat-
thaeus (1): «Nihil enim est opertum, quod non revelabitur; et occul-
»tum, quod non sciatur. Ecclesiastes (2). Et cuncta, quae fiunt,
»adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum, sive malum
»illud sit. Hic nullum opus malum excipitur, et Apostolus (3).
»Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus: ubi in-
»dicat tunc de omnibus certo posse iudicari, de quibus modo non
»potest. Rationem addit, qui et illuminabit abscondita tenebrarum,
»non quaedam tantum, sed omnia, ut de omnibus possit iudicari.
»Favet etiam ratio: quia omnia illorum bona opera sunt manife-
»standa, ac proinde illorum poenitentia, et confessio peccatorum, et
»austeritas vitae in satisfactionem pro peccatis suscepta; hoc enim
»necessarium est, ut intelligatur iudicii aequitas. Deinde manife-
»stari debet misericordia et gratia quam eis Deus praestitit in hac
»vita, per quam datum est illis a peccatis resurgere, et salutem
»consequi: hoc enim maxime pertinet ad gloriam Dei, ut sciatur
»totum electorum bonum potissimum ex ipsius provenire gratia.
»Neque hinc aliquo pudore afficientur (quia hunc beatitudinis
»status excludet), sed magis seipsos humiliabunt, et omnia sua
»bona Dei misericordiae adscribentes, eidem gratias agent (4).»

84. Dico IV. Quoad locum multi putant (5) iudi-
cium extremum habendum in valle Josaphat (6).

Praecipuum fundamentum desumitur ex Joele (7) ubi dicit
Dominus: *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat;... Consurgant, et ascendant gentes in vallem Josaphat; quia ibi sedebo ut iudicem omnes gentes in circuitu.* Non est res omnino certa, quia est dubium an nomen Josaphat sit proprium alicujus loci, vel solum appellativum significans iudicium Domini, ita ut non designet certum locum seu vallem sed indefinite aliquem locum ubi iudicium sit habendum in fine mundi.

85. Dico V. Signum Crucis illustri et augusta specie apparebit in caelo.

Ita canit Ecclesia: «hoc signum Crucis erit in caelo, cum
»Dominus ad iudicandum venerit.» et deducant fere omnes Patres et Doctores ex verbis S. Matthaei (8): *Tunc parebit signum Filii hominis in caelo; et tunc plangent omnes tribus terrae: et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli.* Hoc signum Angeli probabilius deferent tamquam vexillum quod praecedat iudi-

(1) X, 26.—(2) XII, 14.—(3) I^a Cor. IV, 5.—(4) Ex Lessio. De divin. perfect. L. 13, c. 22, nn. 136, 138.—(5) Suar. in 3, part. D. 53, sect. 2.—(6) Ex S. Hieronymo in Joel III, 3.—(7) III, 2, 12.—(8) XXIV, 30.

cem, ut eleganter expressit Honorius Augustodamus citatus ab aliquibus ut Anselmus (1): «Sicut imperator ingressurus civitatem, corona ejus et alia insignia praeferuntur, per quae adventus ejus cognoscitur, ita Christus in ea forma qua ascendit, cum ordinibus omnibus Angelorum ad iudicium veniens, Angeli crucem ejus ferentes praeibunt.» «Multa haec crux significabit. Primo, iudicem per crucem sibi hanc gloriam et potestatem judiciariam comparasse. Secundo, ipsum pro salute omnium crucem sustinuisse; ac proinde esse inexcusabiles, qui tantam misericordiam neglexerunt. Hinc maxime turbabuntur judaei et gentiles, qui Christo et sectatoribus ejus crucem improperebant, et eos persequebantur. Tertio, omnes Crucifixi cultores et amatores jam esse exaltandos, et omnes ejus osores deprimendos. Non est dubitandum, quin haec apparitio sit futura valde mirabilis, et magnos motus animorum praesertim in impiis, excitatura; cum Dominus speciatim hujus rei meminerit, et addat: *Tunc plangent omnes tribus terrae*, nempe omnes iniqui aspectu crucis exulcerati et perturbati (2).»

Nota. De signis adventus Domini et de Antichristo vide dicta in Disq. VII, de Deo incarnato. Vol. II, nn. 311-332.

THESIS XV.

Peracto iudicio sequetur status omnium finalis, damnatorum cum diabolo in inferno, beatorum cum Christo regnantium in caelo.

86. Prob. 1.^o Professionibus fidei, quae post iudicium statim subjungunt ut quid immediate sequens statum omnium finalem. Symb. S. Athanasii post articulum iudicii extremi: «Et qui bona egerunt ibunt in vitam aeternam: qui vero mala in ignem aeternum.» Definitio Lateranensis IV, habet: «Venturus (Christus) in fine saeculi, iudicaturus vivos et mortuos, et redditurus singulis secundum opera sua tam reprobis quam electis... ut recipiant secundum opera sua sive bona fuerint sive mala: illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam.»

2.^o Haec fides clare continetur in Scriptura (3), nam latâ sententiâ approbationis: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi;* et alterâ damnationis: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus;* statim sequitur: *Et ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam.* Inde Augustinus (4): «Hoc summum bonum nostrum et finis civitatis Dei.» Et alibi (5): «Con-

(1) In elucidario. L. 3, c. 12. Vid. Mign. P. L. tom. 172.—(2) Ex Lessio. De perfect. Divin. L. 13, c. 22, n. 131.—(3) Matth. XXV, 34, 41, 46.—(4) De Civ. Dei. L. 19, c. 4.—(5) De Trin. L. 1, c. 13.

»templatio promittitur nobis actionum omnium finis et aeterna
»perfectio gaudiorum, de qua Joannes: Videbimus sicuti est.»

3.º Ratione ut supra n. 70. Deinde cum Lessio (1): «nam cum
»judex sit omnipotens, sermo ejus est efficax. Haec exequutio con-
»sistet potissimum in duobus: nam et ignis quo mundus ardebit,
»summa vi irruet in damnatos, eosque involvet undique; et sta-
»tim maximo hiatu sub pedibus eorum aperiet se terra usque ad
»inferos, et tota illa multitudo in illum simul cum igne involvente
»praecipitabitur. Totum hoc fiet cum immenso fragore et strepitu,
»tum ignis corripientis tum terrae dissultantis, tum hominum ca-
»dentium et exclamantium. Colliguntur haec omnia satis manife-
»ste ex Scripturis; *Ignis ante ipsum* (judicem), *praecedet, et in-*
»*flamabit in circuitu inimicos ejus* (2), nimirum post latam sen-
»tentiam. *Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos; in mise-*
»*riis non subsistent* (3). Cadent, quia ex alto vi sententiae judicis in
»eos ignis cum carbonibus ardentibus immittetur, quo in ignem
»inferni dejiciantur.»

«O si sapere, ait B. Gregorius M. (4) in cordis palato possit,
»quid admirationis habet quod dicitur: *Venit sponsus?* quid dulce-
»dinis: *intraverunt cum eo ad nuptias?* quid amaritudinis: *Et clausa*
»*est janua?* Venit quippe ille qui adventu suo elementa concutit, in
»cujus conspectu caelum et terra contremiscunt. Unde etiam per
»Prophetam dicit: *Adhuc semel, et ego movebo non solum terram,*
»*sed etiam caelum.* Ad cujus examen omne humanum genus dedu-
»citur. Cui ad vindictam malorum, remunerationemque bonorum,
»Angeli, Archangeli, Throni, Principatus, et Dominationes obse-
»quuntur. Pensate, fratres carissimi, ante conspectum tanti judicis
»quis in illo die terror erit, quando jam in poena remedium non erit:
»quae illa confusio, cui reatu suo exigente continget in conventu
»omnium Angelorum hominumque erubescere: qui pavor, eum
»quem et tranquillum mens humana capere non valet, etiam ira-
»tum videre. Quem diem bene Propheta intuens, ait (5): *Dies irae,*
»*dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis, et mise-*
»*riarum, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae, dies tubae et clan-*
»*goris.* Pensate ergo, fratres carissimi, extremi diem judicii super
»corda reproborum qua asperitate Propheta vidit amarescere, quem
»tot appellationibus non valet explicare. Quanta vero tunc erit ele-
»ctorum laetitia, qui de ejus merentur visione gaudere, de cujus
»conspectu vident et elementa omnia contremiscere, cum eo simul
»ad nuptias intrare? Qui et in sponsi nuptiis gaudent, et tamen ipsi
»sunt sponsa; quia in illo aeterni regni thalamo visioni nostrae

(1) De perfect. div. L. 13, c. 23, n. 146.—(2) Ps. XCVI, 3.—(3) Ps. CXXXIX, 11.—(4) Homil. 12, in Ev.—(5) Soph. I, 15.

»Deus conjungitur. Quae scilicet visio numquam jam in perpetuum
»ab amoris sui amplexibus evelletur. Tunc regni janua lugentibus
»claudetur, quae modo quotidie poenitentibus aperitur. Erit nam-
»que et tunc poenitentia, sed fructuosa jam non erit: quia nequa-
»quam tunc veniam invenit, qui modo aptum veniae tempus per-
»dit. Hinc etenim Paulus (1) dicit: *Ecce nunc tempus accepta-*
»*bile, ecce nunc dies salutis.* Hinc Propheta (2) ait: *Quaerite Domi-*
»*num, dum inveniri potest: invocate eum dum prope est.*»

SCHOLION.

De renovatione mundi.

87. I. Est certa. 1.º Ex Scriptura S. Petri (3): *Expe-*
»*ctantes et properantes in adventum diei Domini, per quem caeli arden-*
»*tes solventur, et elementa ignis ardore tabescent? Novos vero caelos et*
»*novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus justitia*
»*habitat.* Clarius vero Paulus (4): *Nam expectatio creaturae*
»*revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati* (corruptioni) *enim*
»*creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam*
»*in spe; quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in*
»*libertatem gloriae filiorum Dei.* Fuit praenuntiata in V. T. ab
»Isaia (5): *Ecce enim, ego creo caelos novos et terram novam.* Tam-
»quam ultimum mundi fatum exhibetur in Apocalypsi (6). *Et*
»*vidi caelum novum et terram novam.*

2.º Id intellexerunt PP. S. Augustinus ait (7): «Peracto
»judicio tunc esse desinet hoc caelum et haec terra, quando incipiet
»esse caelum novum et terra nova. Mutatione namque rerum. non
»omnimodo interitu transibit hic mundus. Unde et Apostolus ait:
»Praeterit enim figura mundi hujus. Figura ergo praeterit non na-
»tura.» Et S. Hieronymus in cap. LXV Isaiae: «*Novos cae-*
»*los et novam terram videbimus.* Non dixit Petrus, alios caelos
»et aliam terram, sed veteres et antiquos in melius commutatos.»

3.º Hujus renovationis causae sunt ex Apostolo (1. c.): quod
»a) praesens status non sit originalis conditio creaturae; quod
»b) ipsa non sit causa suae in deterius commutationis; quod
»c) illam expectet: cui adde d) quod rerum universitas sit propter
»hominem; glorificato ergo ejus capite et rege, decet ut ipsa pro
»modulo suo particeps reddatur hujus glorificationis. Deinde e)
»universitas rerum visibilis opus praestantissimum est sapientiae
»et omnipotentiae Dei. Quare ipsa ejus praestantia exigit, ut con-
»servetur et consummetur, ut condignum sit complementum illius
»regni Dei, quod iudicio universali inaugurabitur (8).»

D. Thomas (9) ait: «Omnia corporalia propter hominem

(1) II, Cor. V, I. 2.—(2) Isai. LV, 6.—(3) II.º, III, 12, 13.—(4) Rom. VIII, 19-21.—(5) LXV, 17.—(6) XX, 1.—(7) Lib. XX. De Civit. Dei. cap. XIV.—(8) P. Hurter, comp. Theol. special. Vol. III, n. 866.—(9) Suppl. Q. 91, a. 1, (al Q. 94.)

»facta creduntur: unde et omnia dicuntur ei subjecta. Serviunt
 »autem homini dupliciter: uno modo ad sustentationem corporalis
 »vitae, alio modo ad profectum cognitionis divinae, in quantum
 »homo per ea quae facta sunt, invisibilia Dei conspiciat, ut dicitur
 »Rom., I. Primo ergo ministerio creaturarum homo glorificatus
 »nullo modo indigebit; cum ejus corpus sit futurum omnino in-
 »corruptibile, divina virtute id faciente per animam, quam imme-
 »diate glorificat. Secundo etiam ministerio non indigebit homo
 »quantum ad cognitionem intellectivam, quia tali cognitione
 »Deum sancti videbunt immediate per essentiam. Sed ad hanc
 »visionem essentiae oculus carnis attingere non poterit; et ideo, ut
 »ei etiam solatium congruens de visione divinitatis praebetur,
 »inspiciet divinitatem in suis effectibus corporalibus in quibus
 »manifesta indicia divinae majestatis apparebunt, et praecipue in
 »carne Christi, et post hoc in corporibus beatorum, et deinceps in
 »omnibus aliis corporibus. Et ideo oportebit ut etiam illa corpora
 »majorem influentiam a divina bonitate suscipiant quam nunc;
 »non tamen speciem variantem, sed addentem cujusdam gloriae
 »perfectionem; et haec erit mundi innovatio. Unde simul mundus
 »innovabitur et homo glorificabitur.»

88. II. Erit mutatio ejusdem mundi in perfe-
 ctionem et gloriosum.

Ita dicendum ex adductis testimoniis Scripturae et PP. ut com-
 munitur intelligunt DD. catholici. Qualis futura sit haec immutatio
 nec conjectando assequi licet, ait P. Hurter (1). Communio-
 nem inter scholasticos sententiam tradit et exponit Lessius (2):
 «Renovatio ista non consistet in mutatione essentiae, sed status et
 »qualitatum (sicut renovatio corporis humani), ita ut plane aliud
 »caelum et alia terra esse videatur. Nam primo cessabit motus cae-
 »lorum, ac proinde vicissitudo diei ac noctis, hiemis et aestatis.
 »aestus et frigoris, ortus et interitus; eritque semper eadem caeli et
 »terrae facies, eadem serenitas et pulchritudo: aberunt nubes et
 »venti, pluviae et grandines, nives et glacies. Deinde lux solis,
 »lunae, et astrorum mirifice augebitur juxta illud Isaiiae (3):
 »Erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis erat septemplex sicut
 »lux septem dierum. Quem locum doctores cum S. Hieronymo
 »passim intelligunt ad litteram de hac innovatione, in qua lux
 »lunae futura sit instar lucis solaris quae nunc est, et lux solis
 »septuplo major quam fit modo; ut indicant illa verba: Sicut lux
 »septem dierum; quod non potest commode intelligi, nisi de luce
 »septem dierum in unum collecta, seu de luce in septuplum aucta.
 »Hinc orbis caelestes et elementa mirum in modum illustrabuntur,
 »et plane aliam speciem induent. Credibile etiam est, innumeram
 »stellarum multitudinem, quae modo non apparet, tunc vi lucis
 »illius apparituram, ut novorum caelorum exhibeat speciem: non
 »enim lumen solis obfuscabit lumen stellarum, sed augebit. ita ut
 »omnes reddat conspicuas... Denique omnia per hanc innovationem

(1) Comp. Theol. dogm. Vol. III, n. 866.—(2) De divin. perfect. L. 13, c. 23,
 n. 148.—(3) XXX, 26.

»eam pulchritudinem assequantur, quae respondeat gloriae sancto-
 »rum, servata tamen proportione inter ipsa corpora: quo enim su-
 »blimiora sunt, eo majore gloria decet ea vestiri.»

89. III. Novi mundi incolas futuros esse limbi
 pueros plures theologi (1) sentiunt.

Naturalia enim non sunt peccato originali imminuta, quare hic
 mundus erit tunc locus consentaneus et eis proportionatus ex na-
 tura sua. Hinc, et consequenter ad ea quae diximus in schol.
 Thes VIII, parvuli in corpore solam privationem gloriae debitae
 beatis habebunt, erunt tamen naturaliter corpore et animo perfe-
 cti, quare Deum cognoscent, eum super omnia amabunt, omni na-
 turali virtute ornabuntur, corpore gaudebunt impassibili non per
 intrinsecam dispositionem sed ex providentia Dei, cibo et potu non
 indigebunt, membrorum rebellionem nescient, erunt enim in ter-
 mino non in via.

90. IV. Mundo innovato, consummata erunt hu-
 jus saeculi tempora in honorem laudem et glo-
 riam Dei et Christi sui.

Sic docet Paulus (2): *Deinde finis; cum tradiderit regnum Deo
 et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et vir-
 tutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub
 pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors; omnia enim
 subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicat: Omnia subjecta sunt ei,
 sine dubio praeter eum qui subjecit ei omnia. Cum autem subjecta
 fuerint illi omnia; tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit
 sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.*

«Tunc Christus tradet regnum, nempe Ecclesiam sanctorum,
 »quam ipse ad salutem adduxit, Deo et Patri, inquit Apostolus,
 »nempe ut Divinitas in omnibus regnet, et omnes ipsi Divinitati
 »sublimissimo modo serviant, cum nihil aliud in omnem aeterni-
 »tatem agendum supersit. Consistet autem ista servitus in contem-
 »platione, amore et gaudio, et aliis actibus qui ex his sequuntur:
 »per hos enim maxime Deus honorabitur et glorificabitur a sanctis;
 »et per eosdem (si considerentur ut a Deo per lumen gloriae et cha-
 »ritatis donum proveniunt) Deus in ipsis regnabit.»

«Tunc et ipse Filius (ut idem Apostolus ait) subjectus erit ei
 »qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Subjectus
 »erit, nimirum secundum humanitatem. Modo non ita apparet sub-
 »jectus Patri, quia occupatur in regenda Ecclesia: tunc vero perspi-
 »cua apparebit; quia cum Patri regnum tradiderit, completum erit
 »opus salutis nostrae, quod ipsi commissum erat: unde nihil aliud
 »supererit, quam ut ipse quoque se totum cum omnibus electis,
 »nempe caput cum corpore, Divinitatis obsequio et gloriae per con-
 »templationem, amorem, gaudium, et aeternam benedictionem, lau-
 »dem, et gratiarum actionem impendat. Sic Deus erit omnia in omni-
 »bus; quia sola Divinitas (Pater, Filius, et Spiritus Sanctus) hoc emi-
 »nentissimo modo in omnibus regnabit et dominabitur, omnium

(1) Suar. D. 9, de pecc. orig. sect. 6, n. 6, solum affert in contrarium,
 S. Bonaventuram et Sotum.—(2) I Cor. XV, 24-28.

»corda et vires animae plenissime possidens: sola in omnibus
 »omnium votorum et desideriorum completio: sola omnium lux,
 »omnium amor, omnium gaudium, omnium gloria, omnium opu-
 »lencia, omnium vita, omnium beatitas: sola ita fulgebit, et vigebit,
 »et eminebit in omnibus, ut praeter ipsam nihil esse videatur; sicut
 »ignis in ferro candente ita eminet, ut praeter ignem nihil appa-
 »reat. Hoc erit regnum futuri saeculi: hoc modo omnes justi erunt
 »participes Divinitatis, et in ejus beatissima fruitione conquiescent.
 »Hoc modo Deus erit ultimus finis, et terminus, et requies san-
 »ctorum (1).»

Inter eos numerari concedat, qui est (2): *Alpha et Omega, prin-*
cipium et finis... qui est et qui erat et qui venturus est Omnipotens.

(1) Ex Less. De divin. perfect. L. 14, c. 5, n. 85, 86. — (2) Apocal. I, 8.

INDEX ALPHABETICUS

Numerus romanus indicat Disquisitionem; arabicus, paragraphum; aliquando
 pagina citatur.

A

Abstinentia; qua ratione est virtus; V. P. II, 27. Jejunium est actus
 ejus bonus et utilis; p. 231. Ab Ecclesia praeceptum obligat sub
 mortali; p. 233.

Acceptio personarum opponitur justitiae distributivae et est pecca-
 tum ex genere suo grave; V. P. II, 152, 153. In distributione
 beneficiorum ecclesiasticorum et officiorum civilium praeferre
 tantum dignos dignioribus, est per se grave peccatum; 154, 155.
 Non inducit tamen obligationem restituendi; II.^a P. p. 389. In
 injusta distributione beneficiorum et officiorum quando peccetur
 graviter; 157. An officia civilia possint vendi; p. 390, III.

Actio in judicio ejusque divisio; p. 245.

Aeternitas poenarum; vid. Infernus. Beatitudinis; vid. Beatitudo.

Ambitio; p. 222.

Amicitia; p. 399.

Angeli sunt proximi nostri; V. I. P. 144. Judicandi die extremo;
 VI, 82.

Articuli fidei; vid. Fides.

Astutia, quid; p. 211.

Attentio; vid. Oratio.

Audacia; p. 220.

Aureola; vid. Beati.

B

Beati carent fide; V. P. I, 104, 4.^o Etiam spe sub ratione spei, non
 tamen sub ratione aliorum actuum saltem probabiliter; 135, IV
 et V, PP. Sunt impeccabiles ab intrinseco; VI, 60. Quae sint per-
 fectiones eorum intellectus et voluntatis: Quae dotes et aureolae;
 ibid.

Beatitudo per Dei intuitivam visionem datur mox post mortem in
 caelo animabus justorum plene purgatis; VI, 50, 52. Est inae-
 qualis pro meritorum singulorum beatorum diversitate; 53. Bea-
 titudo formalis constituitur aliqua hominis operatione; 54, 55.
 Perficitur actibus visionis, amoris et gaudii; 57, 58. In quo vel